



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Berengarivm Comitem. Declarat suam in eum benevolentiam. commendat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam. rogat vt Stephanum episcopum in tuendis ecclesiae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CLXVII.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD BERENGARIVM COMITEM.

Declarat suam in eum benevolentiam. commendat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam. rogat vt Stephanum episcopum in tuendis ecclesiæ suæ iuribus adiuuet.

Dilecto filio Berengario glorioso comiti.

QVIA præcessores nostros sacros videlicet pontifices imitantes, qui gloriosos progenitores vestros dignis semper honoribus glorificauerunt, vos quasi dilectum & spiritalem filium paterno cupimus affectu diligere, & gloriosum in omnibus retinere. Nam sicut per Demeum eximium ducem, & fidelem nostrum nobis intimando mandastis, quod erga sanctam sedem apostolicam, & nostram paternitatem, vos in omnibus deuoti, & obedientes esse deberetis, omnemque nostram voluntatem, quasi filius carissimus adimpleretis, multum fuimus gauisi: sed quia iterum per Petrum venerabilem episcopum, & Ioannem insignem ducem vobis mandauimus, vt adiutores fuissetis Stephano venerabili episcopo, quem nos in Comiaclo præordinauimus, quatenus vestro auxilio adiutus ecclesiæ suæ iura, & possessiones, atque ipsius curam ducatus retineret securus, & vestro minime audiuius adiutum esse auxilio, valde miramur. Quapropter rogamus nobilitatem tuam, vt tale iam dicto episcopo nostro adiutorium faciatis, per quod suam ecclesiam, & ministerium sibi commissum securiter retinere, atque disponere valeat. Et si forte, quod non credimus, vestra est circa nos voluntas mutata, vt audire nos de hoc non cupiatis; petimus vt pro amore Dei & nostro omnes vestros homines prohibeatis aliquam ibi nostris contrarietatem facere, vt absque illorum impedimento nobis illos liceat secundum nostram possibilitatem castigare veluti rebelles & inobedientes nostræ apostolicæ iussioni, ne censum, quem his annis transactis duobus exinde perdidimus, & istius anni perdamus. Data vt supra.